



QV.



Q. 524, 32

B. M. T.

Quatuor D. Iohannis Caselli  
Epistolæ.

II M  
8018

AD D. DANIELEM HOFF-  
MANNVM SCRIPTÆ.

Item.

ACCVSATIO

Facultatis Philosophicæ Academiæ Helmstadianæ  
adversus eundem instituta, ac Commissarijs Iu-  
ridicæ ac Medicæ facultatis profes-  
soribus


exhibita

die Bartholomæi anno 1598.

*Ex hisce statum litis quam D. Hoffmannus cum Philoso-  
phis habet quiuis facilimè cognoscet.*



ANNO M. D. C.



Consuetudo D. Johannis Caselli  
Episcopi

A. D. D. DANIELI M. HOFMANNI  
MANNIVM SCRIPTA

ACCUSATIO

Facillime Philologice Auctore Johanne Hofmanno  
adversus eundem in hunc modum Communitatis  
in hunc modum Medicamentaria proferat  
Johannes

die Bartholomaei anno 1598.

Ex hunc statum hinc quomodo Hoffmannus cum Philoso  
pho habet quomodo factum cognoscet



ANNO M. D. C.



## EPISTOLA I.

**S.** Reuerende Clarissimeq<sup>3</sup> D.D. Hoffmanne, Collega honorande. Audio te plurium dierum volumen condere pro vestris Thesibus, earumq<sup>3</sup> proemio. Nam in Collegis nefas esse duxeris. Quaso, quid agis? Quidve eo nomine te excrucias. Si quid erratum aut omissum animaduertis, non tam nobis, quam Veritati verbo satisfeceris. Etenim simplex est Veritatis oratio, nec varijs indiget hinc inde interpretationibus: nec Veritatis lux & fulgor ab vlllo mortalium obscurari potest, minusq<sup>3</sup> adeo quam solis illustrissimi sidorum. Sin interpretatione aliqua indigeant, dic sodes itidem pauca, sed admodum disertè. Doctos enim viros non multorum verborum, neq<sup>3</sup> hallucinantes in oratione esse decet. Nec enim existimaris, nos esse indociles aut pertinaces. Sensisti & docuisti antè, nec vnquam recantabis, Philosophiam & cum primis Logicam (diuinum enim est & à DEO ostensum Veritatis instrumentum in omnibus disciplinis) ornamento & adiumento Ecclesiae, & necessariam esse Theologo: sicut Philosophiam docent Christiani Philosophi, quod & nos in Academia Iulia bona fide facimus, quisq<sup>3</sup> suo loco, quantum quidem possumus, excepto nemine, quod ipse sciam. Quod si in hac pristina & vera sententia manes, quod & tua constantia est, & studij Veritatis, prorsus consentimus. Non enim à te discedas, & à Veritate. Nec enim decet doctum virum, nedum Theologum primarium assumptam Propositionem tueri obtinenda victoriae gratia. Apud nos victoriam neutrius esse partis decet, sed Veritatis. Obtestor te, ne litemus contentioni vehementer ruenti, quae parua metu primo, mox sese tollit in altum, ingrediturq<sup>3</sup> solo, & caput inter nubila condit. Auscultemus, in quo te duce opus est, seruatoris commonefactioni: habete inquit, salem in vobis, & pacem colite inter vos. 17. Martij, Anno 1598.

## EPISTOLA SECVNDA.

**S.** Non opus erat, Hoffmanne, ista vehementia, non tanta acerbitate orationis, non istis fulminibus verborum, non denunciatione Excommunicationis. Etenim Pelagianismus, Synergista, Latomus, Iesuita, Andradius eorum deniq<sup>3</sup> scripta, dicta, facta nihil ad nos. Nemini nostrum in mentem eiusmodi vnquam quicquam venit. Neque de hoc, neque de illo capite religionis nostrae nobis tecum concertatio vel disputatio est, vt nos foris ad alios, hic ad iuuentutem audacter & falso accusas. Nec tu hoc ignorare potes, quod disertè tibi à Collegis nostris indicatum est, dictū à pluribus, presenti à me & scriptum,

in Cornelij scripto repetitum saepius; non esse cuiquam, neq; esse nobis velle tecum aliquid Contentionis Theologicae. Me vero mei an prorsus oblitum existimas, qui summo studio semper cauerim, ne me ingererem Theologicis disputationibus? An ego nunc demum mutem sententiam, & tecum in arenam descendam, annum agens sextum & sexagesimum? Ne tibi quidem hoc persuaseris, nedum cuiquam alij. Quid igitur tibi vis? Stuporem dicere non possumus, malitiam non velimus: Tu tamen, vt vis, affingis nobis haereses. Alia de re inter nos agitur. Tu enim agis, scribis, dicis, & doces, quibus inuisam facias Philosophiam studiosae iuuentuti: Nos Philosophiam dicimus Ecclesiae & Theologis vtilem & necessariam & ornamento esse: hoc tu negare non potes, & aperte profiteri non vis, quamobrem tu ipse videris. In hunc campum descende & pugna, aut Veritati manum da. Nos enim non tibi, sed errori tuo aduersamur: nos studijs Iuuentutis & dignitati Academiae consultum volumus: Et simul existimationi tuae consulimus, dum te ad te ipsum reuocamus, & ad ea, quae paucis annis ante recte tradidisti, ne inscitiae patrocinari & auditores tuos & nostros a vitae & Ecclesiae necessarijs disciplinis auertere videaris: Satis jam satis jacent bonae literae, & per se erigit caput barbaries; quae communi consilio & ope potius retundenda erat. Vale. 26. Iulij 98.

## EPISTOLA TERTIA.

**B**ona Fide nobiscum age Hofmanne: hic est status Controuersiae: hic est Bingham, Controuersiae status, non alius. Bonas literas & Logice, & Philosophiam Ecclesiae ac sacrarum literarum cultoribus ornamento esse, & vtilis & necessarias: De quibus tu hoc demum anno sic scripseras, sic locutus fueras, vt illas disciplinas a te non commendari, sed extenuari nemo non suspicaretur, & se ad eas non inuitari sed ab ijs deterreri omnis iuuentus intelligeret. Hanc esse controuersiam ex Collegis, quos ad te misit ordo Philosophicus, satis cognouisti; in hanc sententiam ego ad te amice & disertè scripsi: Idem audiui in Consistorio cum clara & crebra protestatione, nos nihil aliud spectare, nec aliquid mouere, quod proprie ad Theologiam pertineat, cum ex alijs, tum ex me iterum; hac de causa tibi autor erat M. Meibomius vt quoniam vera esse de Philosophia quae doceremus, & tu olim magnifice vereq; scripseras, negare non auderbas, publice testatum hoc ad iuuentutem faceres: idem in Responione ad tuas Theses saepius inculcat Cornelius. Hac vera esse, non potes ignorare: quae de nobis & publice declamas, & ad alios disseminas, & ad me scribis, ad negotium  
nihil.

nihil pertinent, & in vniuersum falsa sunt. Negamus & pernegamus, nobis esse tecum de re Theologica controuersiam: quod velim intelligas non solum de Colloquio aut plerisque in Collegio Philosophico: sed de vniuersis & singulis. Et si autem sciebam, hac ita se habere, atque ipse minime dubitabam: tamen quo & ego asseuerantiis hac scriberem, & tu elabi nulla ratione posses, cum singulis de hac re iterum diligenter locutus sum. Et vniuersi igitur affirmamus, & affirmat vnusquisque nostrum, ac ne vnus quidem dissentit à cæteris. Cœptum esse agi, & hodie agi tecum de decreto Collegij: esse eam controuersiam, quam initio perscripsi; nec Collegio Philosophico, nec vlli priuatim esse tecum de vlla re Theologica negotium, aut disceptationem vnusquisque nostrum asseuerat. Quæ cum vera sint, narrationes illæ tuæ & querelæ & anathematis, & diuæ omnes simul in fumum abeunt: nec erat opus tam τρυφῶν ad me, aduersum me, & Collegas meos falsissima scribere: quæ refutata intelligis vniuersi Collegij & singulorum Collegarum testimonio. Redi igitur ad mentem saniolem & ipse tu pacem cole cum Collegis, & cum Veritate: Nemini vitio datum fuit Veritati cedere, nos Veritatem oppugnare summum nefas esse ducimus. Quod si quis sit ex ordine nostro, quem tamen ego neminem esse intelligo, qui in re Theologica sibi tecum esse negotium velit, ei licet per Collegium, per me, & cæteros Collegas, tecum congregari. Quod si, etiamsi nemo sit, vt dixi, tu tamen fortè velis tibi cum aliquibus, aut cum vno aliquo esse negotium, nemo nostrum tam inops consilij, aut tam infans est, qui ignoret, quid se deceat, aut quid velit, tibi exponere vereatur. Quod si me, quem ante omnes petis, in arenam Theologicam prouocaris, ego te nequaquam sequar: Non foret hoc consentaneum generi vitæ, in quo sum, nec anteactæ vitæ, qui omne genus contentionum summo studio fugi, ex quo vitæ humane rudimenta didici, in annum ætatis sexagesimum sextum, Nec tamen ita meticulosus, nec ita prorsus abiecti animi nulliuius consilij sum, vt oblitus officij mei salutem iuuentutis & dignitatem tum ordinis Philosophici, tum Academiae Iulie velim prodere silentio: Et in hac controuersia affirmo: Bonas literas & Logicam & Philosophiam Ecclesiæ & sacrarum literarum cultoribus esse ornamento, vtilis & necessarias. Quod tu negare non audes, quia olim sic ipse tradidisti: profiteri autem disertè non velis: Debes autem, quod non ego te cogam, sed Veritas & Conscientia tua: nec alia ratione potes hoc tempore consulere existimationi tuæ, & placare, quicquid est doctorum hominum in vniuerso orbe Christiano. An tu quod vniuersi, quod singuli testamur, id nos mentiri vnus & solus dices? nobis verò siue mihi, siue alijs affinges hereses, prout tibi libeat, quæ nemini nostram vnquam in mentem venerunt? Crede verò etiam hæc conatibus non mediocriter cæterorum Collegarum animos: ac

certè omnium quibus cum hac de re sermonem institui : (institui autem cum plarimis.) nemo fuit, quin istas tuas non necessarias & periculosas molitiones improbaret. Quid si me hoc confingere existimas, ipsemet è singulis sciscitare, quid sentiant, aut quid tibi consulant. Ut ego de ipsorum virtute & sapientia iudico, neminem habebis omnium sententia tuae astipulatorem. Patiar autem ut hæc abs quouis etiam alio legantur, communicenturq; cum omnibus in Academia, cum consiliarijs Principis, cum senatu provinciali, cum doctis viris passim gentium, cum Academijs vniuersæ Europæ. Ad Thema nostrum responde, & noli cum laruis à teipso confictis, ita miserè luctari. Non is qui conseruat Veritatem, sed qui eam, eiusq; Autores fideles premit, turbare Academiam & cætus mortaliū existimandus est. Cum Theologis agas de rebus Theologicis, vbi tibi tantū erit negotij, quantū reliquo vitæ tuæ tempore, intentis etiam omnibus neruis ingenij exhaurire valeas & desine Collegas tuos modestos cum primis viros, & tui quoad ipse pateris, observantes, in suo quemq; genere doctrina citra controuersiam doctissimos afficere tam grauib; iniurijs, quibus fortunas, famam & caput cuiusq; nostrum petis: quantum periculum nemo tam vilis est, qui non omnibus viribus propulsandum sibi statuat: tamen eas, nisi perrexeris, tibi condonare possumus, modo cum Veritate redeas in gratiam, professus, te quas disciplinas contumeliose habuisse videris, magnificere: & eas studiosæ iuuentuti, ut nos facimus, & olim fecisti, sedulo commenda. Vale Helmst. in Acad. Iul. IV. Kal. Sextil. 98.

## EPISTOLA QUARTA.

**I**trum hesternæ scedæ profundè vulnerasti animum meum: in hac quoq; quod Imperium in quenquam me habere Collegarum aut familiarium existimas: nec ego aliquid mihi in quenquam esse cupio, nec ille meam aut cuiusquam ferant. Et vtrumq; rectum est: nec ego meas mihi adulari, aut seruitutem seruire doceo. Controuersiam autem hanc Academicam, nec ego, nec collegæ excogitauimus: tu eam his mensibus peperisti, tu nutris: De Pelagianismo verò nec dormiens nec vigilans somniaui. Si veram sententiam amplecti (loquor de hac disceptatione, in quam nos detraxisti, cum tuas res agere posses) & profiteri vis, quid amplius desideramus? Sin tam sanum consilium repudias expectamus exitū negotij, de quo tecum neq; priuatim, siue coràm siue per literas agere deinceps decreui: neq; quod & omnium & publicè interest, in me transferre volo, neq; iniussu totius Collegij, quicquam de vlla re, nedum de qua in præsentia in-

ter



ter nos publicæ utilitatîs gratia controuertere, statuere tecum debeo. Quotquot sumus, Humanitatîs & Veritatîs cultores sumus, neq; quisquam omnium est qui hoc negotium non æquè atq; ego intelligat. Iterum Vale. Helmst. 29. Iulij Anno 98.

ACCUSATIO CONTRA D. HOFMANNVM  
instituta à Philosophica facultate Acade-  
miæ Iuliæ.

**M**agnifici Dn. Commissarij, cum D. Daniel in suis Thesibus de D E O, & earum proæmio multa perplexa, siue indistincta & obscura, aliqua etiam euidenter falsa de Philosophia & Philosophis scripserit, quæ in contumeli- am Philosophicarum disciplinarum & Philosophici ordinis, in primis autem in contemptum non tantum optimi Principis nostri, qui ea studia tam benignè fouet, & à suis coli vult, sed etiam vniuersæ Academice nostræ, cuius insignis pars etiam habetur hic Ordo, & ad animos cum cæterorum auditorum, tum præcipuè S. S. Theologiæ studiosorum, tam à nobis, quam à nobilissimis disciplinis, quas profitemur, alienandos, quàm iuuentus, & nos spectare videremus, nec die Disputationis de ea re conferendi locus vlli professori Philosophiæ datus fuerit, misimus ad eum de communi consilio duos Collegas, qui ipsum amicè monerent, vt ad disputandum cum Respondente denuò prodiret, ne tam falsa & praua Opinio insideret animis auditorum, quam imbibituri ex illis Thesibus viderentur. Nam sanè si verum est, quod in præfatione illarum Thesium ab Hofmanno asseritur: Quanto magis excolitur ratio humana Philosophicis studijs, tanto armatiorem prodire contra Theologiam: & si verum est Philosophiam inter opera Carnis, quorum mentionem facit Paulus ad Gal. 5. Id est, inter adulteria, scortationes, homicidia hæreses, ab Apostolo numerari, de quibus manifestè asserit, quod opera sunt Diaboli, quæ qui faciat, is saluari non possit: si item verum est, Philosophos esse Patriarchas hæreticorum, tam & illi Patriarcha cum suis hæresibus id est, cum sua Philosophia pellendi sint in maximam malam crucem, & illi vehementer culpandi, qui tantam generis humani perniciem non tantum ferunt, sed etiam publicis stipendijs alunt. Cæterum cum tergiuersatus fuisset, nec rationem suarum opinionum redditurus videretur, detulimus negotium ad Magnificum: & cum D. Daniele in Consistorio egimus, vt intellexerit hoc nos velle, quod volumus, vt iuuentuti publice declaret, Bonas literas, Philosophiam & Logicen esse vtilis & necessarias ac ornamento Ecclesiæ & Theologiis: quod cum languidè concederet magis tamen negabat. Deinde cum autoritate publica ei iniuncta esset priuata disputatio, in qua ad oculum illi demonstra-

44  
Th  
60/16

monstratum, non usum Philosophiæ, sed abusum eius, quem Philo-  
sophia præstare non possit, Theologiæ obesse, & simul demonstratum ex  
D. Paulo, ex ratione, & ex ipsis Hofmanni Thesibus de notitijs nobis in natis Phi-  
losophica illa principia, quæ notitiæ nobis innata vocantur, dicere Deum esse,  
esse bonum, esse vindicem scelerum, quod & ipsum sacrae literæ probant, non ad-  
uersari Theologiæ, nata est secunda controuersia. Nam D. Hofmannus affir-  
mare non erubescit: Principia illa si à Philosopho, quatenus est Philosophus, pro-  
ferantur, mendacia esse, id est Legem Naturæ, quam à Deo fatetur, mentibus  
nostris inscriptam, mendacium esse, & mentiri Philosophum non regeneratum,  
si dicat, Deum esse iustum, Deum esse bonum. Quanquam autem sperasset fa-  
cultas nostra eum post tam placidum Colloquium, præsertim cernens absurdita-  
tes suas saltem silentio Veritati cessurum, tamen, cum ex eo quoque tempore nos  
publicè ad auditores iniurijs afficeret, cum de nobis, ut εὐπέσσεως auctoribus aut  
socijs loqueretur, Pelagianos, Andradianos etc. vocaret, & contumeliosè tractare  
Philosophiam non desinit, modo eam perfrigidè laudans, modo valdè extenuans,  
modo aliquas eius et primarias partes extremè vituperans, nõ est de nihilo quod  
in eo desideramus; Ac duo nunc ab eo contendimus: primum vt pro insignibus illis  
iniurijs nobis satisfaciat: Deindè vt iuuentuti nostræ publicè declaret, quanti sint  
facienda bonæ literæ, Logica, Philosophia, & quod etiã colenda studiosis sacrarum li-  
terarum. In quibus si expectationi nostræ satisfaciet, ex re ipsa intelligemus, a-  
mantem Veritatis & Collegarum & Concordiæ, & Utilitatis publicæ, & dignita-  
tis Academiae Iulie. Nos eum semper vt Collegam singulari beneuolentia vni-  
uersi & singuli complexi fuimus, ac nunc nostra ei studia in omnibus, quæ  
debemus, si volet in perpetuum constabunt. Helmst. die D.

Bartholomei Anno 1598.




mi

**ULB Halle**  
004 364 325

3







Qu. 524, 32

B. M. T.

Quatuor D. Iohannis Caselli  
Epistolæ.



AD D. DANIELEM HOFFMANNVM SCRIPTÆ.

Item.

ACCUSATIO

Facultatis Philosophicæ Academiæ Helmstadianæ  
adversus eundem instituta, ac Commissarijs Iu-  
ridicæ ac Medicæ facultatis profes-  
soribus

exhibita

die Bartholomæi anno 1598.

Ex hisce statum litis quam D. Hoffmannus cum Philoso-  
phis habet quiuis facilimè cognoscet.



ANNO M. D. C.

